

nec superfluos faciunt suos; hinc vero non licet inferre universalem affirmativam; ergo præsentis fructus omnes faciunt suos. At

*Contra 1<sup>um</sup>.* est, quod; etsi Tridentinum noluerit circa Doctorum Catholicorum controversias definire quidquam, aut statuere explicite; non raro tamen, poscente rerum connexionem, plus inclinet in sententiam unam præ alia, ac supponat aliquid, vel declaret implicite. Hoc nec adversarii inficiari possunt, cum secus inepte ipsi, imo Theologi omnes et Canonistæ in quæstionibus aliis frustra ex Tridentino pro roborandis sententiis, non expresse definitis, argumenta peterent. Deinde Concilii Tridentini tempore sententiam nostram jam communem fuisse ex Cardinale PALLAVICINO liquet, Concilii Historico *Lib. XXIV. cap. 3.* ubi refert, quod cum Braccarensis Archiepiscopus ad cætera capita Reformationis *Sess. 24.* addi decretum vellet, Episcopos non esse dominos suorum reddituum, sed tantum dispensatores, rejecta fuerit ejus postulatio, opponentibus Cardinale LOTHARINGO, GUERRERO, aliisque communem jam sententiam contrariam; cumque porro Braccarensis instaret, distinguens necessaria inter et superflua, velletque saltem superfluum non esse dominos, etiam tunc auditus non est.

*Contra 2<sup>um</sup>.* est, quod Tridentinum *loc. cit.* clericos superfluum beneficium non modo dominium utile, sed etiam proprietatis obtinere, sat clare supponat; dum enim absentes in pœnam privat fructibus omnibus, imo magis superfluis, dicendo, quod illos *non faciant suos*; item privando iis, quos *lucrati fuerint*; supponit hoc ipso, quod præsentis *faciant suos, lucrentur*; sed hi loquendi modi in jure usitati acquisitionem domini ac quidem proprietatis important, æque ac dum dico: *hæc res est mea*, respectu mei plenum sonat dominium. Hinc merus administrator non dicitur fructus collectos facere suos, ipse lucrari.

*Contra 3<sup>um</sup>.* est, quod argumentatio illa manca non sit, spectata subjecta materia, et mente Tridentini supponentis ac declarantis implicite, quod clerici residentes fructus faciant suos; quidquid sit in summularum rigore, aut subtilitate, cum in legum interpretatione ad Legislatoris mentem magis quam rigorem logicorum respiciendum sit.

222. *Prob. II. JOANNES XXII. Extrav. Ad onus Apostolicæ. C. Suscepti. de Elect. et Electi pot.* moderatur consuetudinem occupandi fructus primi et secundi anni in præjudicium eorum, qui, ut ait, hujusmodi beneficia canonice obtinent, et ad quos alias de jure fructus ipsi (sine exceptione; ergo etiam superflui) spectare deberent; atqui illi ad quos fructus de jure spectant, veri sunt domini.

223. *Prob. III.* Beneficiatis assignati sunt omnes redditus beneficiales sine ulla exceptione per modum stipendii et mercedis propter laborem beneficio annexum; *Beneficium enim datur propter officium. c. fin. de Rescript.* ergo omnes tam necessarii, quam superflui transeunt in Beneficiatorum dominium; sicut in laicorum, Ecclesiæ servientium; nec enim refert, quod redditus aliquando ampli sint, ac excedere videantur præstitum officium, retinebunt enim nihilominus rationem mercedis, licet liberalioris, nec obesse potest dominio; sic et Ecclesia dives laicorum officia subin compensat libe-

ralius, sed et heri liberales famulorum obsequia; æque tamen dominium consequuntur mercedis liberalis, quam paræ.

*Conf.* Si Beneficiati non haberent dominium in beneficia superflua, ergo contractus omnes, donationes, quibus illa ad causas pias non applicarentur, deberent haberi pro invalidis, rescindi, a Prælati Ecclesiæ declarari irritæ, et ad hoc tenerentur in conscientia, æque ac tutor non agens contra contractum a pupillo in suum præjudicium inito; item accipientes tenerentur ad restitutionem in conscientia, saltem cum constaret donationem factam esse de superfluis: sed talis irritatio, rescissio nunquam audita est. Nec dici potest, Ecclesiam ideo non refundere contractus, vel non urgere restitutionem, quia supponit, expensas, donationes, dispositiones ad causas profanas fieri non ex superfluis beneficialibus, sed vel patrimonialibus, vel quasi talibus; nam, etsi in casu aliquo particulari id forte supponi posset, quod non constet, quibus ex bonis facta fuerit dispositio, donatio; constat tamen in genere, frequenter dispositiones ejusmodi fieri non nisi ex beneficialibus; igitur etiam saltem in genere deberent declarari irritæ, ac bona ejusmodi, sicut res alienæ cæteræ, subjacere restitutioni.

224. *Obj. I.* Plura Concilia, et Patres abnegant clericis dominium superfluum reddituum beneficium; ergo. *Prob. Ant. quoad p. 1<sup>am</sup>.* Nam 1<sup>o</sup>. Concil. ANTIOCHENUM II. anno 363. quod refertur *Can. 23. Caus. 12. Q. 1.* statuit, Episcopo non aliam circa res Ecclesiasticas competere potestatem, quam illas distribuendi egenis, sibi vero ex his posse non nisi necessaria sumere. 2<sup>o</sup>. CARTHAGINENSE III. anno 398. relatum *Can. 1. Caus. 12. Q. 3.* res Ecclesiæ ut divinas tractandas esse, quod idem decrevit AGATHENSE anno 506. PARIENSE VI. anno 829. ARELATENSE anno 813. relatum *c. 1. de pecul. cleric.*, clericos fures compellat, qui de redditibus Ecclesiæ, vel oblationibus quid auferunt. Item AQUISGRANENSE anno 816. *Prob. 2. p. ex S. PROSPERO* et S. HIERONYMO relato *c. 68. Caus. 16. Q. 1. Quidquid habent clerici pauperum est.* S. AUGUSTIN. *c. fin. Caus. 12. Q. 1. Si privatim possidemus, non illa nostra sunt, sed pauperum.* Similia habent S. BASILIUS, GREGORIUS NAZIANZENSIS et alii.

R. Concilia ANTIOCHENUM, CARTHAGINENSE, S. HIERONYMUS, S. AUGUSTINUS et reliqui loquuntur de tempore, quo nondum facta honorum divisio; AGATHENSE, et RHEMENSE, AQUISGRANENSE de redditibus Ecclesiæ nondum distributis. PARIENSE de bonis ad ipsam Ecclesiam pertinentibus. Unde hæc et similia nihil obstant hoc tempore, quo divisio olim inchoata a SIMPLICIO data ubique executioni est, erectique tituli beneficiales.

225. *Inst. 1.* Etiam Patres recentiores hoc dominium clericis abnegant; ergo. *Prob. Ant. 1<sup>o</sup>.* ALEXANDER III. anno 1170. jubet donationes factas ab Episcopo revocari *c. Fraternitatem. de Donat.* 2<sup>o</sup>. S. BERNARDUS, qui floruit eodem sec. XII. epist. 2. ad Fulconem Lugdunensem Canonicum: *Quidquid, ait, præter necessarium victum et vestitum de altari retines, tuum non est, rapina est.* Idem asserit S. LAURENTIUS JUSTINIANUS sec. XV. 3<sup>o</sup>. S. THOMAS de Villa nova: *Cum audio, inquit, aliquem clericum beneficium in morte apud se habuisse nummos, sic dolore afficior, ac si diceretur, illum mortuum fuisse juxta concubinam.* S. CAROLUS BORROMÆUS in Conc. Mediolanensi



dicit, clericos, qui redditus Ecclesiasticos in causas profanas expendunt, teneri ad restitutionem; ergo.

R. N. A. *Ad prob. 1<sup>am</sup>*. R. S. Pontifex loquitur de donationibus factis ab Episcopo ex rebus ad ipsam pertinentibus Ecclesiam, *Canonicis inconsultis*, quas, cum de jure non valeant, revocari vult.

*Ad prob. 2<sup>am</sup>*. R. Exaggerative loquitur, ut vox ipsa *rapinae* indicat, ad inculcandam gravitatem præcepti superflua beneficialia pie expendendi, cujusmodi auxesi oratoria, ut rei alicujus gravitatem indicent, sæpius utuntur Patres. Ita S. AUGUSTINUS *serm. 129.* de opulentis secularibus ait, illos aliena rapere, qui superflua non largiuntur pauperibus. Ita S. BASILIUS de avaris ait: *Esurientis est panis, quem retines; nudi est vestis, quam in arca custodis; discalceati est calceus, qui apud te marcessit; egentis est argentum, quod in terra defossum possides: quare tot injurius es hominibus; quot poteras opem conferre.* Ita S. HIERONYMUS *relatus Can. Hospitalium. Dist. 42.* universim laicum asserit, *aliena rapere, qui ultra necessaria sibi retinere probatur;* at hæc et similia neque in sensu theologico, neque sensu juris subsistunt.

*Ad prob. 3<sup>am</sup>*. R. S. THOMAS id solum intendit, clericum peccare graviter, si superflua non expendat pie, inque causa sit, quod post ejus mortem ad causas profanas deveniant. Et vero si in rigore verborum sumenda esset ejus sententia, clerici ne quidem patrimonialium haberent dominium. Demum S. CAROLUS *Conc. cit.* de stricte Ecclesiasticis bonis ita pronunciat, quæ *ibid.* a beneficialibus *tit. 16.* sat clare distinguit.

226. *Inst. 2.* At Doctor Angelicus, qui tamen ad rigorem theologicum res semper ponderare solet, idem enunciat; ergo. *Prob. Ant. Nam 1<sup>o</sup>. 2. 2. Q. 100. a. 1. ad 7.* inquit: *Quamvis res Ecclesie sint Papæ ut principalis dispensatoris, non tamen sunt ejus ut domini et possessoris. 2.* Idem repetit de clericis singulis *Q. 119. a. 3. ad 1.* ubi: *Clerici sunt dispensatores bonorum Ecclesie, quæ sunt pauperum, quos defraudant prodige expendendo.* Ae in *epist. 2. Cor. 12. Lect. 5.* cum sibi objecisset: *Videtur, quod male fecerint principes et alii dando divitias Prælati, sibi ipsi respondit hisce: Respondeo: dicendum, quod non dederunt Prælati propter se, sed propter pauperes; et ideo non dederunt eis, sed pauperibus: Prælati autem dantur tanquam pauperum dispensatoribus.*

R. N. *Ant. Ad prob. 1<sup>am</sup>*. R. 1<sup>o</sup>. Hic S. Doctorem loqui de rebus Ecclesie ut sic, sive de omnibus quarumvis Ecclesiarum bonis, quæ vere ejus non sunt ut domini et possessoris, nec proinde de iis pro arbitrato potest disponere, donando, vel quomodolibet alienando, cum eorum suprema solum ad eum cura pertineat.

R. 2<sup>o</sup>. Juxta alios *cit. Q. 100.* de simonia agit; subdit enim: *Et ideo, si (Papa) reciperet pro aliqua re spirituali pecuniam de redditibus Ecclesie alicujus, non careret vitio simoniae. Et similiter etiam posset simoniam committere recipiendo pecuniam ab aliquo laico, non de bonis Ecclesie.* Unde textus ille huc est impertinens.

*Ad 2<sup>am</sup> et 3<sup>am</sup>*. R. Hæc a S. Doctore dici de parte bonorum pauperibus destinata, et relicta administrationi clericorum, ac dispensanda pauperibus.

Hæc, non alia S. Doctoris mens est, quam clare exhibet *Quodlib. 6. Q. 7. a. 12.* ubi sibi hoc proponit argumentum ordine tertium: *Quicumque con-*

*sumit, quod est alterius, tenetur ad restitutionem; sed bona clericorum sunt pauperum, ut patet per Glossam Hieronymi ad illud Isaia 2. Rapina pauperum in domo vestra ergo si clerici inutiliter bona Ecclesiastica consumunt, tenentur restituere pauperibus aliunde, si habuerint.* Sed ita respondet: *Ad tertium dicendum, quod bona Ecclesiastica non solum sunt dispensanda pauperibus, sed etiam Ecclesie ministris; unde secundum Canones debent dividi hoc modo, ut aliqua pars cedat in usus pauperum, et aliqua pars in usus ministrorum et cultum Ecclesie. Aliter ergo dicendum est de illis bonis Ecclesiasticis; quæ principaliter sunt attribuenda necessitatibus pauperum, et ex consequenti necessitatibus ministrorum. Et aliter de illis bonis, quæ sunt principaliter attributa usibus ministrorum, et ex consequenti necessitatibus pauperum, sicut sunt præbendæ clericorum et alia hujusmodi; nam in primis bonis peccatum committitur non solum ex abusu, sed etiam ex ipsa rerum conditione, dum aliquis in suos usus assumit, quod est alterius, et ideo tenetur ad restitutionem tanquam defraudator rei alienæ. In secundis bonis non committitur peccatum, nisi per abusum, sicut et de bonis patrimonialibus dictum est; unde non tenetur quis ad restitutionem, sed solum ad penitentiam peragendam. En bona ex præbendis obvencientia patrimonialibus comparat, iisque abutentes clericos non teneri ad restitutionem. Pariter 2. 2. Q. 183. a. 7. dum quærit: *utrum Episcopi mortaliter peccent, si bona Ecclesiastica, quæ procurant, pauperibus non largiantur?* postquam dixerat, Episcopum peccare mortaliter, teneri ad restitutionem, si post divisionem retineat sibi quidpiam de iis, quæ eroganda sunt pauperibus, clericis, fabricæ, tum subdit: *de his autem, quæ sunt specialiter suo usui deputata, videtur esse eadem ratio, quæ est de propriis bonis; sed priorum bonorum Episcopus plenos esse dominos præmiserat art. cit.* Par autem est ratio de reliquis clericis.*

227. *Obj. II. 1<sup>o</sup>*. Reditus Ecclesiastici passim in jure, Conciliis, a Patribus cujuslibet ævi dicuntur *res Dei, bona Ecclesie, patrimonialia pauperum.* Unde JUSTINIANUS *Auth. Ut determinatus sit numerus clericorum. c. 3.* clericos obligat, ut de sua substantia indemnitate Ecclesie præsentent, si non omnia ad causas pias referant. Ac *c. 3. de præbend. et dignitat.* ait GREGORIUS S. P. nulla ratione permitti, ut, quod pro communi utilitate datum esse dignoscitur, propriis cujusquam usibus applicetur. Et demum S. BERNARDUS in illud: *Ecce nos reliquimus omnia*, asserit clericum, qui habet partem in terra, non esse partem habiturum cum Deo in cælo. 2<sup>o</sup>. Clerici de jure communi testari prohibentur de rebus perceptis intuitu Ecclesie, juxta *c. quia nos. de Testam.* ubi ALEXANDER III. *ex his tamen, quæ consideratione Ecclesie per ceperunt, nullum de jure possunt facere testamentum:* et CONC. LATERANENSE III. quod *c. 5.* decernit: *sive intestati decesserint clerici, sive aliis conferre voluerint bona per Ecclesiam acquisita, penes Ecclesiam eadem bona præcipimus manere;* ergo. 3<sup>o</sup>. Concil. TRIDENTINUM *Sess. XXV. c. 1.* clericis prohibet, ne bonis Ecclesie suæ ditent consanguineos.

*Ad 1<sup>am</sup>*. R. D. Dicuntur *res Dei, bona Ecclesie*, quia propter cultum Dei sunt olim a fidelibus oblata Ecclesie, ad sustentandos hujus ministros: *patrimonialia pauperum*, quia in divisione pars specialiter fuit assignata pauperibus; tum quia adhuc clerici, ut dicitur *Art. seq.* tenentur ex riguroso Ecclesie